

1. Huber f. Joh. f. Diss. de fine ac quem  
homo conditur, Wittenb. 1593

2. ————— diss. de conjugio et  
Divortio, Wittenb. 1593.

3. Häfemann f. Joh. f. Instructio Stu-  
diosorum, quid dephrasi bona  
opera sunt necessaria ad vitam  
eternam, statuere habent  
Lipsie 1616.

4. ————— repetitio Articuli  
IV libri concordis, Lipsie  
1649

*Hoc disputatione 17 omnes habentia chiam in hominem et patrum  
et ex f. Wittebergae anno 1590.*

DISPUTATIO XVII.

DE COENA DOMINI,  
EX DECIMO ARTICULO

*Augustanæ Confessionis:*

*Ad cuius Theses,*

A SPIRANTE DIVINA  
CLEMENTIA, PRÆSIDE  
ÆGIDIO HVNNIO, S. THEOLOGIAE  
*Doctore & Professore in Academia VVite-  
bergensi, respondebit i. Augusti, in  
Auditorio Theologorum, ho-  
ris matutinis,*

M. IOHANNES WEGELINUS  
*Augustanus.*



VVITTEBERGAE,  
Typis M. Georgij Mulleri.  
clo. 15. xcv.

高祖皇帝

1908 T. Wilson L.

16

三

350

21

*DE COENA DOMINI*  
Disputatio altera.

THESES I.

**D**ecoratio Rioris Disputationis Thesibus ostensa, quin & no-  
santim demonstrata est ex fonte ac sede Institu-  
tionis Cœnae Dominicæ, vera Ecclesiarum nostrarū  
contra Sacramentarios Calvinianos sententia.

2. Nunc reliqua persequamur argumenta, quæ potissimum nos-  
bis ex Epistola Pauli ad Corinthios priore suppetunt, & in capitii-  
bus decimo & undecimo fundata reperiuntur.

3. Ac primò quidem irrefutabiliter evincit Apostoli locus i.  
Cor. 10. sententiæ nostræ firmitatē ac certitudinem, quando Cor-  
inthios suos his affatur verbis: *Vt prudentibus loquor, judicate*  
*vos, quod dico: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne*  
*communicatio sanguinis Christi est? Panis, quæ frangimus, nonne*  
*communicatio corporis Christi est?*

4. Commemorabile est, quod Apostolus hoc suum Thema, de  
communicatione corporis & sanguinis Christi, dijudicari vult à  
Corinthiis, ut prudentibus, atq; horum mysteriorū minimè ignaris.

5. Nimirum isto facto testificans, Corinthios hujus, quam ab  
eis flagitat, dijunctionis certam quandam habuisse normam, ad  
quam suum de his tantis rebus judicium exigere possent.

6. Ea quæ sit, Apostolus sequente capite planum reddit, ad for-  
mulam solennem primævæ Institutionis illos revocans & palan-  
asse verans, se hoc doctrinæ coelestis caput eo, quo ipse à Domin-  
acceperit modo, undiquaq; salvum & integrum apud illos depon-  
re, quo edocet & prudentes redditi, universum hoc mysticæ bei-  
dictionis arcanum dignoscere ac ritè dijudicare valeant.

7. Quare si scrutemur, ecqua cōmunicatio corporis & sanguinis Christi Servatoris in illa Institutione cœnæ sancita et ordinata sit: offerunt se hæc manifesta verba, quibus de pane fracto loquens Dominus, ait: accipite, edite, hoc est corpus meum: quibus etiam de poculo, gratijs actis, enunciat: bibite, hic est sanguis meus novi Testamenti.

8. Ex his ergò formalibus Institutionis æstimare poterant Corinthis, hanc, quam Paulus h̄ic commendat, κοινωνίαν, in dando & accipiendo, edendo bibendoq; consistere.

9. Estq; Paulina hæc assertio (poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? panis, quē frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?) ceu compendium atq; σύνολος, in quam Paulus historiam institutæ Cœnæ miranda brevitate rededit & concessit.

10. Nam quod habet historia: accepit Dominus Iesus PANEM, ac FREGIT: hoc Paulus ita reddit: panis, quem frangimus.

11. Quòd subiicit historia Evangelica: DEDIT discipulis, dicens: ACCIPITE, EDITE: id Paulus una voce κοινωνίας, communicationis seu participationis, ceu fasciculo complexus est.

12. Rursum quòd in verbis institutionis suæ Christus discipulis denunciat, ecquid sit illud, quod jubet accipere & edere, dicens: hoc est corpus meum: id Paulus itidem compendiosè reddit, quando panem eucharisticum non simpliciter κοινωνίαν, sed κοινωνίαν corporis Christi nuncupat.

13. Sic quoq; in parte altera Sacramenti, quòd Evangelistæ prohibent, Dominum Iesum accepto poculo gratias egisse: hoc Paulus resolvit in hæc verba: poculū benedictionis, cui benedicimus.

14. Quod Institutio memorat, Dominum Iesum DEDISSE discipulis calicem ac dixisse, BIBITE: id Paulina paraphrasis distinctione κοινωνίας iμφατικῶς expressum dedit.

15. Et

15. Et quia Dominus in Cœnæ Dominicæ instituto perspicue  
definit, ecquid sit id, quod mediante poculo præbet, sumendumq;  
porrigit, inquiens: hic est sanguis meus: ideo Paulus Eucharistie  
poculum seu potionem benedictam illam, non absolute noviciæ,  
sed sanguinis Christi noviciæ appellat:

16. Ex ipsa igitur sede, fonte, & fundamento hujus dogma-  
tis, unde verba sua judicari vult Apostolus, expeditum erat Co-  
rinthijs judicium facere de sensu Paulini thematis, videlicet quod  
accipiens & edens panem exhibitum, unâ sumat, edat & partici-  
pet corpus Christi: & bibens de poculo benedictionis, simul in ea  
potione bibat & participet Christi Servatoris sanguinem.

17. Non enim panis & vinum respectu cuiusdam metonymicæ  
repræsentationis dicuntur esse corporis sanguinisq; Dominicæ  
noviciæ: sed verè sunt mysticæ hujus noviciæ, exhibitionis, sumi-  
ptionis & participationis media & instrumenta, diuinitus ad hoc  
ordinata, ut per hæc externa symbola nobis cœlestia dona, sacra-  
tissimum Christi corpus & preciosus sanguis, sumenda dispensen-  
tur, idq; ratione ea, quam tenor verborum exprimit, edendo ni-  
mirum & bibendo.

18. Porrò qui spreta hac simplici declaratione, quam & textus  
ipse, & collatio verborum cœnæ parit, tropos hic querunt, &  
tuis noviciæ dictionem in sententia Paulina de spirituali parti-  
catione Christi ratione meriti ac beneficiorum intelligendam au-  
tumant: hi neq; scopum assequuntur Apostoli, nec de textu ejus  
judicant ex præscripta solennis institutionis forma & norma, nec  
ex absurditatibus, quibus implicantur inscij, se se ullo pacto extri-  
care queunt.

19. Primò enim Paulus hoc loco de ipsomet Christi corpore &  
sanguine, substantiæ ratione considerato, manifestè loquitur, &

non de fructu, merito, virtute & efficacia: tametsi hæc suo aliâs  
loco, ubi non simpliciter de perceptione, sed de salutari perceptio-  
ne Sacramenti agitur, haudquaquam secludamus.

20. Adhæc in nouvâ spirituali illa corporis & sanguinis Christi,  
ratione meriti considerata, fides non corpus Christi, hoc est,  
meritum corporis, absq; sanguine, vel absq; sanguinis Christi me-  
rito apprehendit: siquidem meritum, quod corpore suo nobis ac-  
quisivit Dominus, ab eo, quod comparavit effusione sanguinis, ni-  
hil distinguitur, cum sit idem prorsus absq; ulla discretione.

21. Secundum hos ergo præposteros interpretes, qui ad fidei  
participationem torquent textum Paulinum, panis cænæ non jam  
esset nouvâ solius corporis, sed etiam sanguinis Domini: & vi-  
ce versa poculum non tantum sanguinis Christi, sed etiam corpo-  
ris esset communicatio.

22. Quia verò Paulus communicationem corporis, à sanguinis  
Christi communicatione sic discernit, ut testetur, panem esse  
nouvâ corporis, non sanguinis; poculum sanguinis non corporis  
( alias confunderentur Eucharistie partes, & utriusq; rei cæle-  
stis gemina nouvâ in una Coena, quin utriusq; sub utroq; terreno  
symbolo participatio statueretur absurdissimè ) manifestum est,  
absurdè textum Paulinum torqueri ad nouvâ fidei, quæ talem  
distinctionem non admittit, sed Christum ut Christum unâ cum  
universo merito ipsius amplecti solet.

23. Relinquitur ergo, hanc, quam nos tuemur, distinctam par-  
ticipationem corporis Christi sub pane, & sanguinis sub vino be-  
nedicto notanter asseri, quæ participatio juxta tenorem institu-  
tionis in edendo bibendoq; consistit.

24. Adde verò & hoc, quod Paulus non dicit: fides est com-  
municatio corporis Christi, ut quidem ex adversiorū opinione  
dicendum

dicendū erat. Sed inquit : PANIS ēst cōmunicatio corporis Christi, ut palām doceat, sumpto pane simile tam sumi corpus Christi in una iudicata mandatione ; licet modus mandationis differat, ut priore Disputatione ēst expositum.

25. Porrò afferendae sententiae nostrae argumentum haud postremum ēst, quod talis in Coena describitur corporis & sanguinis Christi sumptio, quæ etiā indignis, hoc ēst, hypocritis sit communis, & dignis quidem cedat ad salutem, indignis autem ad iudicium.

26. Testatur id Paulus I. Corint. II. scribens : Quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem homo seipsum, & sic de pane illo edat & de poculo illo bibat. Nam qui edit aut babit indignè, judiciū sibi ipsi edit et babit, nō dijudicans corpus Domini.

27. Absurdi sunt, qui ex grege Calvinistico per indignos hīc intelligendos opinantur homines fideles, sed in fide languidos & infirmos.

28. Testimonium interim ferunt contra seipso, Paulum adeò dilucidè adscribere indignis mandationem & bibitionem corporis & sanguinis Christi, ut malint in vocabulo (indigni) glossas querere, quamlibet violentas, quam negare ausint, indignis hanc corporis & sanguinis Christi participationem attribui.

29. Quòd autem per indignos non infirmi in fide notentur, sed vera fide vacui hypocrytæ & impenitentes, sequentes rationes irrefragabiliter arguunt.

30. Etenim cum Christus non rejiciat infirmos in fide, sed suscipiat Rom. 11. cum infirmos, non validos, Medico egere pronuntiet Matth. 9. cum virtutem suam in nostra infirmitate perficiat 2. Cor. 12. cum laborantibus & oneratis, atq; sic etiam his, qui se in fide

in fide infirmos sentiunt, refectionē animarū spondeat Matth. II.  
qua fronte audent Sacramentarij asserere, Paulum hanc se veram  
comminationem de reatu corporis & sanguinis Christi, deq̄ juz-  
dicio, quod sibi accersunt indignè manducantes & bibentes, vi-  
brare in eos, qui in fide sunt imbecilles?

31. Imò Sacramentum Eucharistiæ institutum est hoc consilio  
atq̄ fine, ut qui se in fide sentiunt infirmos, usu Sacramenti non  
judicium profectò, sed fidei suæ augmentum percipient.

32. Et an non hoc est egregiè solari homines in fide infirmos,  
si doceatur, ipsos ob fidei suæ imbecillitatem judicium sibi mandu-  
care & bibere?

33. Adhæc quomodo & quando certi esse poterunt Christiani,  
sintne satis firmi in fide, ne forte ad judicium sumant hoc venera-  
bile Sacramentum? Nonne sic dubitatio nobis obtrudetur Pa-  
pistarum?

34. Atqui hactenus in Ecclesia traditum est, fidem hominis in  
toto negotio mysteriōḡ salutis nostræ non pensitari ex sua vel fir-  
mitate vel infirmitate: cum etiam minuta fides, quæ vix granum  
sinapi & quet, firmissimam æternæ salutis petram, Iesum Christū  
apprehendat, & montes tentationum transplantare valeat.

35. Non minus absurdè faciunt, qui indignorum nomine venire  
putant homines vera fide præditos, sed qui mysterij hujus magni-  
tudinem non satis expendant.

36. Testantur & hi, Apostolum tam clare tribuere indignis  
sumptionem corporis & sanguinis Domini, ut malint ipsi quoq;  
vim facere vocabulo, quam ut sumptionem corporis & sanguinis  
Christi derogare ausint his, quos Apostolus indignorum appellatio-  
ne perstringit.

37. Interim

37. Interim ipsorum etiam interpretatio eadem futilitate labo-  
rat, & ad eosdem scopulos allidit: quod hoc pacto ne p̄ij quidem  
& verè fideles possunt esse certi, num satis ardenter ac de votè  
perpendant hæc mysteria: sed semper habebunt dubij, dignè per-  
cipiant an indignè: si ex nostræ devotionis sensu & qualitate  
pendebit communicantium in hoc cœlesti convivio dignitas.

38. Sic conscientijs pauidis usus cœnæ dominicæ potius cedet  
in lapidem offendiculi & infinitarum dubitationum laqueum: sic  
necessaria consolatio, cuius causa potissimum instituta est cœna  
Domini, penitus eripietur ijs, qui alioquin ob suam indignitatē,  
& motuum illorum spiritualium languorem debilitatemque an-  
guntur.

39. Quid? nonne sic tandem Apostoli ipsi accensendi fuerint  
indignis cœnæ Dominicæ convivis: utpote qui nunquam de pri-  
matu erant litigaturi ipso cœnæ institutæ & celebratæ tempore,  
sitam divini mysterij sublimitatē apud animū satis expendissent.

40. Deniq; si omnino Divus Apostolus in suo de manducatio-  
ne indigorū tractatu solos reprehendit vel in fide languidos,  
vel his sacris minore, quam par erat, de votione utentes, fide tamē  
præditos: qui fieri poterat, ut eorum oblivisceretur, qui peccatis  
etiam mortalibus indulgebant contra conscientiam? quales in cœ-  
tu Ecclesiæ Corinthiacæ fuisse non paucos ipsemē non dissimulat.

41. Nimirum acriter adeò, non sine judicij interminatione  
gravissima fuit in vectus in eos, qui infirmitate fidei, vel incog-  
tantia leviusculè peccassent: de cæteris, qui hypocrisi & impoeni-  
tentia polluebant hæc sacra, securus interim planeq; mutus?

42. Quam supinam oscitantiam quia Paulo, ino Spiritui san-  
cto, qui mentem & calatum Pauli regebat, tribuere non absolu-  
duntaxat, sed & impium est: firmiter concludimus, indigorū

titulo non alios designari, quam salvifica fide & poenitentia de-  
stitutos, quantumvis generaliorem illam fidem habeant, quæ  
Sacramenti vulgo dicitur.

43. De his ergo pronunciat Paulus, ipsos reatu judicij se pol-  
luere, & poenas sibi accersere, non solum temporales, verum etiā  
eternas, nisi agatur poenitentia.

44. Quin res ipsas definit, quarum abusu reatus ille contrahas-  
tur: reus erit, inquit, corporis & sanguinis Domini.

45. Modum insuper, quo & reatum sibi conciliant indignè  
manducantes ac bibentes, & judicium accersunt, Apostolus dilu-  
cida periphrasi circumscribit hisce verbis: quisquis E D E R I T  
panem hunc, & B I B E R I T de poculo Domini indignè, reus erit  
corporis & sanguinis Domini.

46. Et rursum: Probet autem homo seipsum, ac sic de pane il-  
lo E D A T, & de poculo illo B I B A T. Nam qui E D I T aut B I-  
B I T indignè, judicium sibi ipso E D I T & B I B I T, non dijudi-  
cans corpus Domini.

47. Ergò secundum perspicuam declarationem Paulinam rei  
fiunt impij E D E N D O & B I B E N D O indignè.

48. Iam verò quia rei fiunt corporis & sanguinis Christi: ses-  
quitur, illos non nudum manducare panem, nec merum haurire  
vinum, sed edendo bibendoq; participare id, cuius indigna hac  
sumptione constituuntur rei.

49. Quapropter non dicit Paulus, indignos hos convivas ede-  
re & bibere sibi judicium, non dijudicando panem Domini ab alio  
quodam pane vulgari, sed non dijudicando ipsummet C O R P U S  
Domini: ut hac luce clarius ostendat, judicium accersi & reatum  
contrahi in ipsomet cibo, quē indignè tractent, & nihilo sanctiore  
corde & ore ad sumendum illum veniant, atq; aliud quoddam profas-  
num convivium accedere consueverunt.

50. Cum

50. Cum his, quæ hucusq; dicta sunt, congruit etiam Evangelica historia, quæ apud Lucam non ambiguè refert, Iudam quoque actioni coenæ Dominicæ interfuisse.

51. Ita namq; verbis secundæ partis Coenæ ( hic calix novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur ) sermone non interrupto subjungitur immediate : Veruntamen ecce manus prodentis me mecum est in mensa.

52. Porrò ex Matthæo planum est, dixisse Dominum: Bibite ex hoc OMNES. Et ex Marco liquet, OMNES ex poculo bibisse.

53. Iam quid sit illud, quod exhibuit Christus bibendum omnibus discipulis, atq; sic etiam Iudæ proditori : nihil opus est vel conjecturali statu Rhetorum, vel libris divinationum, cum Salvator ipse dicat : Bibite ex hoc omnes ; Hoc enim est sanguis meus novi Testamenti.

54. Quæ assertio propter indignitatem Iudæ mutata non est : sed verè erat Christi sanguis, quod bibebat : nisi Dominum respectu ceterorum quidem discipulorum statuamus dixisse verum, respectu Iudæ autem falsum : quod absit.

55. Hæc tām sunt perspicua, ut Antiquitas constanter hinc asseruerit, etiam Iudam accepisse corpus & sanguinem Christi, sed ad judicium, ut Paulus de indignis censet.

56. Augustinus Epistola 162. scribit : tolerat ipse Dominus Iudam, & sinit ACCIPERE inter innocentes discipulos, quod norunt fideles PRECIVM suum.

57. Idem contra Fulgentium lib.9. Iudas proditor bonum Christi CORPVS, & Simon Magus bonum baptisma Christi PERCEPIT : sed quia bono non bene usi sunt : mali male utendo deleti sunt.

B 2 58. Theodo.

58. Theodoretus in I. Cor. II. ait: non solum Apostolis, sed etiam Iudeo proditori preciosum corpus & sanguinem impertit Dominus. Plura testimonia vetustatis orthodoxae de mandatione indignorum recitata sunt alibi.
59. Ad extremum, pro stabilienda nostrarum Ecclesiarum doctrina de Vera & reali praesentia corporis & sanguinis Christi in cena hic in terris, haud immerito producitur etiam Divi Ioannis testimonium I. Epistola cap. 5.
60. Id vero sic sonat: hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem.
61. Et mox: Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt.
62. Differit Ioannes de testibus Ministerio proprijs, qui de beneficijs incarnationis et passionis filij Dei testificantur, cum foris in Ministerio, tum intus in cordibus fidelium.
63. Hos testes affirmat esse numero tres, spiritum, aquam & sanguinem. Afferit simul, per aquam & sanguinem Christum Iesum venire ad nos.
64. Sunt enim Sacra menta, ceu vehicula, quibus ad nos venit Christus, & mansionem sibi parat in cordibus nostris.
65. Quod autem nomine aquae & sanguinis duo Sacra menta veniant, sequentes probationes dilucide confirmant.
66. Primo enim vox aquae citra controversiam Baptismi aquam denotat, cum non sit ulla aqua alia, per quam ad nos venire dignetur Christus, veletiam que de Christo ejusque beneficijs testimonium ferat.
67. Si contendas, translatitię per aquam designari Spiritum sanctum, ociosissima ταυτολογία tribuetur Ioanni, perinde ac si dicat:

dicat: tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, Spiritus, & sanguis.

68. Qum & numerus fallet. Neg enim tres numerabit testes Evangelista, si Spiritum sanctum, primò sub voce spiritus, deinceps de μεταφορικώτε eundem sub aquæ vocabulo intelligat.

69. Hæc absone cum sint, per immotam consequentiam elicuntur, aquæ voculam notare Sacramentum baptisini, in quo Iesus Christus verè ad nos venit, & per hoc Sacramentum de gratia sua testificatur.

70. Hoc ita luculenter astructo, prohibere non poterunt Calviniani, quin per sanguinem hic IN TERRA testificantem, Sacramentum Ecclesiæ Christianæ alterum (quod κονωνία sanguinis Christi nominatur) intelligendum esse firmiter statuamus.

71. Si enim fingas, non κονωνία illam sanguinis Christi in Sacramento Cœnæ notari, sed aliquid aliud, puta passionem Christi Ierosolymis peractam; accusabis Evangelistam, quod numerationem instituerit plane vitiosam, omittendo testimoniū quartum, eumq. maxime insignem, qui non minus, quam aqua Baptisini, de gratia Christi testimonium perhibet, videlicet sacram cœnam Dominicam. Cum tamen institutum fuerit Evangelistæ, numerum testimoniū de promissionibus Evangelij testificantium certò definire & exprimere.

72. Quid, quod passio Salvatoris est potius id, DE QVO testantur illi tres testes? quod videlicet propter nos nostramq. salutem suscepta ea sit, & meritum passionis illius ad nos pertineat?

73. Quin & scopus arguit, Ioannem docere velle, quibus modis quotidie ad nos veniat Iesus Christus, sicut de aqua certissimum est, per eam Iesum Christum adhuc venire ad nos: cum vicissim per passionem & immolationē sui ipsius sub consummationem seculorum.

culorum semel dunt axat apparuerit Heb: 9. & non dicatur per  
hanc quotidiè ad nos venire.

74. Planum itaq; est, hanc esse verborum Ioannis sententiam:  
tres sunt, qui in terra, seu in Ministerio, quod hic in terra pera-  
gitur, testificantur de nostra per Christum salute: Spiritus in ver-  
bo, aqua in Baptismo, & sanguis in cæna Domini.

75. Neg dubium est, duos hos posteriores testes, aquam & san-  
guinem, esse in historia passionis dominicæ notatos, cum ex aper-  
to Christi latere effluxit sanguis & aqua.

76. Quare admiranda Ioannes mysterium duorum Sacramen-  
torum indicari non obscure animadvertisit, cum id tam operose  
commendat, adjiciens: & qui vidit ( scilicet ex Christi latere  
promanantem aquam & sanguinem ) testimonium perhibuit, &  
verum est testimonium ejus. Et ille scit, quod vera dicit, ut &  
vos credatis.

77. Vnde Divus Augustinus Tractatu in Ioannem 120. scri-  
bit, ex aperto Christi latere Sacraenta Ecclesiæ manasse.

78. Idem locum i. Ioan. 5. enarrans lib. 3. contra Maximinum  
Arianorum Episcopum, ait: Tres sunt testes, spiritus, aqua &  
sanguis, & tres unum sunt: ne forte dicas, spiritum, & aquam,  
& sanguinem, diuersas esse substantias, & tamen dictum esse,  
tres unum sunt. Propter hoc admonui, ne fallaris. Hæc enim  
**SACRAMENTA** sunt, in quibus non quid sint, sed quid  
ostendant, semper attenditur.

79. Ex his ergo memoratis cum sine dubitatione constet, per  
sanguinem in numero testium intelligi sacram coenam, ut pote in  
qua sanguis Novi Testamenti dispensatur: & verò Ioannes af-  
firmet, sanguinem illum testari IN TERRA: firma conse-  
quentia

quentia hinc infertur & conficitur, sanguinem istum in coena hysce  
in terris celebrata esse præsentem: & quidem tam verè præsen-  
tem in terra, quam verè in terra præstò est aqua baptismi: &  
proinde periculose errare Sacramentarios Calvinianos, qui san-  
guinem Christi, ut & corpus ejus, tanto locorum intervallo ab  
elementis sive symbolis Sacramentalibus abesse scribunt & sen-  
tiunt, quanto distat coelum supremum ab infima terra.

## FINIS

Thesi 5. lin. 1. lege: ipso facto.

Thesi 30. lin. 2. Rom. 15.



62. *Item dicitur deus*  
in *tempore* *et* *tempore* *et* *tempore*  
*et* *tempore* *et* *tempore* *et* *tempore*

*et* *tempore*

*et* *tempore* *et* *tempore*  
*et* *tempore* *et* *tempore*


99 A 6911

ULB Halle  
003 139 565

3



St 017





Disputation XVII. owned Nasivius etiam in nomine et patre nostro  
Nec cibis ratione 17 omnes nascitur etiam in nomine et patre nostro  
Koenig Wittenberg anno 1500.

DE COENA DOMINI,  
EX DECIMO ARTICULO  
Augustanæ Confessionis:

# **Augustanæ Confessionis:**

ASPIRANTE DIVINA  
CLEMENTIA, PRÆSIDE  
ÆGIDIO HVNNIO, S. THEOLOGIAE  
Doctore & Professore in Academia VVite-  
bergensi, respondebit i. Augusti, in  
Auditorio Theologorum, ho-  
ris matutinis,

M. IOHANNES WEGELINUS  
Augustanus.



VVITTEBERGAE,  
Typis M. Georgij Mulleri.  
c. I. I. xcv.